

tate, postea ipsius est esse in hoc quod ex operibus efficiet enarrare. Deinceps de eius coniugio sermocinari, ac de mora cum uxore facienda, & ex hoc quod de infantibus ei continget, nec non ex eius commixtione ac familiaritate cum hominibus & ex amicis ipsius, Deinde peregrinationes ostendere, postremo quidem modum suae mortis indicare, quod in fortitudine locutioni quae fit de uita assimilatur. Illius tamen ordo post haec praedicta ponendus est. Nos autem horum uniuscuiusque modum generaliter enarrabimus, & cum solis nostrae narrationis fortitudinibus hoc operantibus ista dicemus, sicut superius manifestauimus. Ea uero quae a quamplurimis stulte superflueque prolata sunt, in quibus non est sermo probabilis, qui occasionibus per primam naturam existentibus conueniat, postponemus, & ex his id ad quod peruenire possumus non per sortes neque per numeros, in quibus occasiones per quas hoc oporteat esse non habentur, sed per planetarum figurarum earumque similitudinum cum suis locis observationes inuestigabimus. Quapropter ne uerbum hoc in unoquoque praescriptorum capitulorum retractare sit opus in omnibus generaliter nos hic proferre conuenit. ¶ Ex capitulo igitur observationis natiuitatum locum circuli signorum qui speciei illius quaesiti capituli assimiletur, consideremus. uelut est loci medij coeli cum operibus, & loci solis cum re patris similitudo. postea planetas quibus ex praedictis .5. speciebus illius loci dispositionem habere conuenit, obseruamus. Et si unus planeta omnibus his modis ipsi loco dominabitur, illius rei quaesitae dispositionem attribuemus ipsi. Si autem duo uel tres ei dominentur, illi qui plurimum numerorum fortitudinem habuerit, dispositionem dabimus. Deinde futuri qualitatem consideremus, cuius inuestigatio erit ex naturis illarum stellarum quibus dispositio conuenit, & ex naturis signorum in quibus planetae fuerint, necnon ex locis similibus. post hoc inuestigationem quantitatis futuri ex eorum uiribus accipiemus, considerando utrum in suis qualitatibus fortes extiterint in mundo & in natiuitatibus, an si contrarium fuerit. ¶ In mundo quidem fortiores dicuntur existere, cum in locis sibi proprijs uel similibus fuerint, & cum orientales etiam extiterint & aucti numero. In natiuitatibus uero fortiores erunt, cum in angulis uel in locis ad angulum ascendentibus fuerint. maxime autem in duobus primis qui sunt ascendens & coeli medium. ¶ Debiliores autem erunt in mundo cum in locis extraneis uel sibi dissimilibus extiterint, aut cum occidentales uel in itinere diminuti fuerint, at in natiuitatibus tunc erunt debiliores, cum ab angulis recesserint. ¶ Spatium quoque temporis futuri considerabimus inuestigando utrum respectu solis ascendens, matutinales an uespertini fuerint. Duae namque primae quartae utriusque eorum, & duae per diametrum eius oppositae sunt matutinales, reliquae uero sunt uespertinales. ¶ Considerabimus etiam si fuerint in angulis, uel ad angulos ascendentibus. Si matutinales igitur uel in angulis fuerint, acutioris erunt operis. Si uero uespertinae uel ascendentes ad angulos extiterint, tardioris operis esse dicentur.

De parentibus. Cap. IIII.